

an. 500 Bobacensis sive Bolanensis. Edita est a A episcopum an. 584 Rejensem, quæ exstat apud Surlando 27 Januarii tom. H, p. 774, et a Mabillonio rium 27 novembris, et in Vincentii Barralis Chronologia abbatum et Monasterii Lerinensis, et illustratur sæc. I Act. Sanct. Benedictin. p. 105. Deinde *Vitam* a Barthio LIX, 12, Adversar. De eodem Maximo Gregorius Turonensis in opere de Gloria Confessorum. S. *Maximi*, abbatis primum Lerinensis, postea an. 455 Regiensis sive Rejensis epi copi, ad Urbicum

## DYNAMII PATRICII EPISTOLÆ DUÆ.

(Duchesne, *Histor. Franc. Script.*)

### EPISTOLA I.

AD AMICUM.

Quantum æstifero solis ardore defesso, vel longin-  
qui itineris vastitate quassato, gelida nympha, dum  
ariditatem temperat, restinguit desideria sitientis :  
ita mihi vestrarum epistolarum elocutio cum inco-  
lunitatis vestræ indicia retulit, gaudiorum incremen-  
ta nutrit. Quia quotiens crebra recordatione dul-  
cia affectionis vestræ vota commemoro, desid-ria  
pectoris publicare suspiriis non desisto. Pro eo  
quod ille corporali fraudatur intuitu, qui de cordis  
non absentatur arcano. Idcirco officium sospitatis  
plenis-imo charitatis jure persolvens, spero ut quo-  
ties aditum temporum difficultas diversa præstiterit,  
semper exiguitatem meam vestrorum apicum elocu-  
tio desiderata confortet, quousque cum divino auxi-  
lio, animorum devotione suppleta, mutuis inter nos  
 lætemur aspectibus qui nunquam indivisibilibus affectioni-  
bus sequestramur.

### EPISTOLA II.

DOMINO SEMPER PECULIARI SUO VILLICO PAPÆ.

Vereor quidem, pro hujus tarditate libelli, reus  
vestri existam imperii. Sed si solito pietatis arbitrio  
mearum amaritudinum pondus inspicitis, necessitati  
protinus indulgetis. [Ut valui, tamen implere quæ  
præcepistis intendi. Quoniam non dubitas, beatissi-  
me pontifex, quod jam me tibi reddidit perpetua  
sedulitate subjectum unicæ charitatis imperium. Sed  
mirum hoc esse non censeo, dum te in omnium  
pectoribus sic devinctum esse confido. Nam eatenus  
vos remuneratione superba, diversa beneficii largi-  
tate prærogativa generalis amplificat, ut in vobis  
esse probetur ingenitum, quidquid ubi radiat pretio-

sum. Et dum generosa natalium dignitate de oratur,  
humilitate plus nobilem totum te tribuit libertati.  
Quo sit ut charitatis splendor, qui intra vestri pec-  
toris arcana immensi luminis claritate præradiat, et  
jam corporis serenitatem ostendat, et ita sit cordis  
speculum, gratia quæ renitet in vultu. Pro qua re  
universitas se certatim vestro conciliari affectu de-  
siderat, dum omnes conscius amor invitat. Quam  
magis ego invicem mei famulatus verborum gaudeo  
jura præmittere, donec et recuperatis viribus rebus  
merear respondere. Idcirco scœnus humillime sospi-  
tatis impendens, deprecor ut jugiter me in divinis  
oraculis quem receptum dignatio retinet, intercessio  
vestra commendet, et omnibus quibus necessarium  
inspicitis, per quos etiam regis auribus deferatur,  
meam necessitatem asserite, vel celerem reditum  
obtinete : ut indulgo suffragetis patrociniis, quem  
impenso fovetis affectu. De transmissis vestris æ-  
niis ancipiti meditatione suspensor, utrum me re-  
ferre grates oporteat, an silere : quoniam qui non  
valet implere præconium, digne vitat affectum. Non  
tamen credit coronæ [*Id est, sacerdotii, episcopatus*]  
vestræ magnitudo sufficere, quod in urbe cui præ-  
estis non desinit universis immensa largitas mini-  
strare, nisi ut illos stipendiis donetis propriis, qui  
mœnibus inhabitant alienis. Sicut me, quem huma-  
nitas vestra optata infestatione persequitur ; quam,  
dum non valui coactus effugere, devotus videor  
excepisse. Unde tamen, licet ariditas subsistat inge-  
nii, tamen poterat suffragii propago prætendi, nisi  
quod mihi epistola terminum habuit, quod spatium  
charta negavit.

## DYNAMII PATRICII VITA SANCTI MARII.

(Ex Bolland. jan. t. II, ad diem 27.)

### CAPUT I.

*Sancti Marii obitus, vaticinia.*

I. Cum Dominus noster Jesus Christus in primor-

dio nostræ vocationis, humanis pectoribus fidei fun-  
damenta jecisset, ejusdem fidei seges sancti Spiritus  
immissione per universum mundum longe lateque